Opuscula

ÆCUMENICUM ECCLESIÆ VNIVERSALIS CONCILIUM

ANGELICUS DOCTOR ECCLESIÆ

D. THOMAS AQVINAS,

In Octava Anniversariæ Suæ Celebritatis,

Penes Theologicam publica Disputatione Scholastico-Dogmaticarum Thesium Defensionem, Oratoria Panegyri

DECLARATUS *ET* PROMULGATUS.

AC

In peculiaris Tesseram Affectûs & Obligationis

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOSEPHO CAROLO à BŁESZNO BŁESZYNSKI,

Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis, & Insignis Collegiatæ Sandomiriensis CANONICO, OFFICIALI Kielecensi, Præposito in Chroberz & Bolesław, Causarum Consistorij Generalis Cracoviensis IVDICI Surrogato,

Inter Annua Divi TUTELARIS sui Solennia Gratulatorio Voto & Cultu


PRÆSENTATUS

Per Patrem Hieronymum à Sancto Bernardo Scholarum Piarum Sacræ Theologiæ Auditorem

ANNO DOMINI 1743.

CRACOVIÆ Typis Michaëlis Dyasaewski, SACRÆ REGIÆ Majestatis, Typographi.

IN AVITVM DECVS
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI
CANONICI



I.

Excitat Heroes bene nota ad Classica Mavors,
Et TUA, *DOCTORUM DUX* amat *Arma* sequi.
Integra castra TIBI Lechæi ducat Honoris,
Agminaq; annnorum centuplicata vocet.

II.

Digna cani Virtus Vastum Nomenq; per Orbem,
Hic se Patritio Stemmate rite notat.
Clara sat & Cracij hic auditur Fama Trionis,
Audiet hoc *Signo* clarior ergo THOMAS.

III.

Ferales Lituos sibi norunt hostica bella,
TE JUDEX Vitiis *Buccina* triste canit.
Terreat Illius *Sonus* & contraria fata,
Consonet ut Votis sors studiosa TUIS.

PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE.

ANgelici Doctoris Panegyrim, quam pro innati erga TE testimonio candoris & votivi affectûs assumpsi charactere, inter festivas TUO aggratulantium Nomini proferri permitte voces; Ut cui nuper Scholasticos penes applausus publicis promulgatæ ab exedris, benevolas dedisti aures, eidem quoq; manum non subtrahas, quam gratiis erga me nunquam præclusisti. Nec vel minimè paginâ hac, ipso naturali jure à me debitam TUIS semper reverentiam jussis, existima violari, quibus & aptatam in merita encomia comprimis pennam, & obligatissimæ alias dictioni indicis silentium. Abest procul à me, Cælo teste fateor, illud mentis propositum, ut aut injurius esse videar commendatissimæ illi TUÆ Virtuti, quâ

 majo-

majori prope, quàm ab alijs appetuntur conatu, in gestis etiam dignissimis novi TE evitare laudes, aut debitæ mihi leges transgrediens modestiæ, ubi Angelico Scholæ meæ Doctori præmissa TIBI offero elogia, laudum TUARUM cum propriæ laudis vitio studeam argumentis. Diem proinde Natali TUO & Nominalibus illustrem Solenniis, Oratoria non collustro Panegyri; Non declaro illud TIBI gloriæ lumen, quod tàm in Domesticis hæreditas splendoribus, quam ex TE Ipso jam per continua bono Patriæ & Ecclesiæ studia, jam per propensa erga TE Principum Procerumq; Regni corda, jam per amplissimas Virtutes & merita TUA animiq; dotes præstantissimas, in totius Domûs & Consanguineo junctarum nexu jubar diffundis Familiarum. Unicum hic meæ præsentis ad TE Orationis est thema, ut & particulare congenitæ mihi erga TE propensionis, & commune totius simul Religiosæ meæ, è cujus numero sum, Familiæ, TUO devotæ NOMINI & Honori, publico testimonio exprimam Votum; Ecquatenus Nominalibus his TUIS Festis, Primorum in Ecclesia Divus INDIGES Celebritatem adjungat Honorum, ijsdemq; Manibus, quibus Vitam aluit Mundi, Vitæ TUÆ momenta, Cælo ad gloriam, Ecclesiæ ad utilitatem, Patriæ ad solatium & commodùm, propriæ ad decus & ornamentum Domui, Religioni meæ ad continuandos favores, seras disponat in ætates

Ita comprecor

PERILLUSTRI REVERENDISSIMO
TUO NOMINI,

Devinctissimus exorator,

Hieronymus à Sancto Bernardo
Scholarum Piarum Auditor
Theologiæ.

ORATIO

Satisné jam celeberrimo Doctoris Angelici litatum est honori, quem Studiorum obligatio, Scholarum amor, Ordinum reverentia, integro hucusq; dierum octavario, solemnibus laudum celebravit ritibus? Satisné Præceptori Divinissimo publicis ab exedris devota immolavit oratio, ubi non domestica tantum Inclytæ Dominicanæ Familiæ, etiam extranea tot Academiarum & Ordinum in Panegyres ejus conspiraverunt ingenia? Ergoné tanto Sapientiæ Mari coronando candidissima Dominici in triumphale sertum non satis sunt lilia? ergoné Doctorum Capiti emi-

nen-

nentissimo, tot Doctorales Cydares & Laureæ, tot Principes & Pontificiæ Mytræ, tot supremorum in Ecclesia Triregia Capitum è domestico suo non sufficient in coronam Ordine? ut prope universus Orbis cum tot Vniversitatibus & Scholis, vel in unum ejus abijsse videatur Discipulum, vel Panegyristen agere & Oratorem. Ita non immerito, tanta quippe est Aquinatis magni laudum immensitas, tot tantaq; Sanctitatis & Doctrinæ argumenta, ut ijs discendis dicendisq;, post Supremæ elogia Cathedræ, ingenia & lingvæ vel disertissimæ non sufficiant. Sæcula decurrunt, Regna & Provinciæ protenduntur in Orbem, in quibus audit THOMAS, plaudit per annos Doctor celebratissimus, tot præconiorum suorum declamatores nactus, quot Sanctioris vitæ Magistros; tot Angelicæ Summæ candidos Discipulos, quot scientiarum principes Professores. Non percenseo celebratas inter Scholasticos commendatissimæ ejus doctrinæ laudes, quas illi post approbationem Divini ipsius è Cruce Verbi: *Bene de me scripsisti THOMA*, discipulæ ejus undequaq; perorant Scholæ; Orbem obrueret Panegyricis, si auscultaretis mecum, quid in plausum ejus tot Doctissimi Sanctissimiq; circumsonant Ordines, tot proclamant Vniversitates. Audiretis, quid Tolosana, Bononiensis, Patavina, Neapolitana; quid Salmaticensis, Mantuana, Parmensis, Florentina, Barcilonensis; quid Compostellana, Complutensis, Valentiana, Lovaniensis, Duacensis; quid Avenionensem præter, nostramq; Cracoviensem, illam formatricem Regum, Gymnasiorum facile Principem

cipem, Thomisticæ veram & juratam sectatricem Sapientiæ, totque alias æquè florentissimas; quid scientificorum illud Seminarium Numinum, illa plurimarum per orbem Vniversitatum Mater, Parisiensis Academia, de Angelico Doctore, publico detonet doceatque é suggestu: *THOMAS Vniversalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, Frons Doctorum, Universitatis speculum & insigne, claritate vitæ & doctrinæ velut stella refulgens matutina.* Audiretis, quàm augustè Augustinianorum, quàm floridè Benedictinorum, quàm elevatè Carmelitarum, fundatè Lateranensium, amplè & eximiè Minimorum, quàm ponderosè Redemptionis Captivorum, eruditè Barnabitarum, splendidè Præmonstratensium, divinè Paulitarum, totque aliorum Sacrorum Ordinum Doctorales, Professorales, Magisteriales, de THOMA, Vniversali suo Doctore, Magistro, Præceptore, in Panegyres & laudes loquantur, & resonent Cathedræ! quàm doctè solideque, æcumenica illa mundi Schola, scientiarum magna Domus, Palæstra Doctorum, Sacra Societas JESV, in Aquinatis Magisterium Generalibus suis in Comitijs fæderetur, uno conjuret ore & sensu: *Nostri omnino Sanctum THOMAM ut proprium Doctorem habeant, cumque in scholastica Theologia sequi teneantur, nullius enim hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, aut securior, ut non immerito Sanctus THOMAS Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.* Minima quoquè Nostra Scholarum Piarum Religio, in Scholis & Cathedris Angelico tota quanta addicta & devincta Doctori, illum

4ta Congregat: Decreto 16. de delectu Opinionum

 scien-

Scientiarum suarum & Studiorum, ut unicam quam colat & observet Regulam, Supremum Religionis, præter tot statuta, vel hodie edicit Oraculum: *In Theologicis MAGISTER Noster Divus THOMAS est, si in alicuius verba jurare debemus, in hujus tantum & non alterius.* Sed quorsum tanta in Divinissimum Aquinatem studia? Vnde illi tanta in scholis, Ordinibus, Ecclesia Vniversali ex tot Pontificum assertis, authoritas? Dicetis Magistrum esse Divinarum humanarumquè Scientiarum præstantissimum? parum est; Angelicum, & satis, ut vulgo audit, subscribetis Doctorem? eximium & rarum prædicatum, sed Aquinati Nostro nondum me judice adæquatum. Plus aliquid mihi in eo occurrit suspicandum ad elogia, plus vel præsentibus prædicandum ab exedris, nempe, non Doctor unus quispiam ille, sed Doctorum omnium Collegium, & ut concludam verbo: *THOMAS Æcumenicum Universalis Ecclesiæ Concilium.* Hoc ego Ipsum ad ulteriorem Panegyrim dum promulgo titulo, favorabile á Vobis Illustrissimi, Sapientissimi, vestrisq; majores titulis AA. expeto & expecto judicium.

P. Joseph ab Angelo Custode Præposit. Gnalis.

Æcumenici naturam Concilij Oratoria Vestro in confessu narrare svada, idem est, ac variegatis solem effigiare coloribus, syderum olympum accensa face demonstrare. Hæc est enim illa Orbi universo notissima (affirmante Evangelio) *Lux mundi*, quâ post Supremæ iubar & maiestatem Sedis, nil illustrius, splendidiusq; habet Ecclesia, ad declarandum obscurum illud Divinioris lumen Fidei, ad dispellendas in gravissimis quibusquè negotiis

occur-

occurrentium tenebras difficultatum. Vel ex ipso sui ethymo vocabuli, plusquam claram esse cuiq; necessum est, Æcumenici, id est Vniversalis, rationem Concilii, in quo & ad universa, & ex universis Regnis, Gentibus, ac Provinciis, Mysteriorum DEI explicanda Arcana, ad defendendam Ecclesiam, ad avertendos, eliminandosquè errores, clarissimi quique, authoritate, prudentiâ, sapientiâ, congregantur Viri, nec solum Ecclesiasticis fulgentes dignitatibus, etiam sæculi præditi potentiâ suprema interdum & maiestate. Quid augustius æquè ac sanctius videas sub sole, quam gravissimos illos Senatus Ecclesiæ, ipsis etiam orbis stipatos & adorandos Principibus, regalibus ac Imperatoriis subnixos soliis; illa summorum veneranda Patrum, Sacrorum purpurata Antistitum, lectissimorum togata Doctorum Nomina ac Numina! Angelicos tot terrarum Spiritus, distinctissimos sexcentis agminibus in unitate fidei Quirites! asserentes quæquè altissima, definientes difficillima, convellentes erronea, resolventes dubia, noxia præcaventes. Quid divinius, quàm adoranda illa audire Oracula! illam Orthodoxarum veritatum detonantem videre Scholam, illa Castra DEI lectissima sanctissimaquè, Militantis Antesignanos Ecclesiæ, pro DEO, pro veritate decertantes. Placet jam tantorum Capitolium subire Capitum? tantorum syllabum relegere Nominum? Divinissimum mecum cernite Aquinatem. Videbitis in eo vel de una sua Comitum de Aquino Domo integra Principum orbis Comitia; Videbitis extra Nicæam verissimos in Fridericis secundis Constantinos,

extra Lugdunum in Henricis ſextis Carolos, extra Tridentum & Lateranum integram Patrum Eccleſiam, plenas Doctorum ex Vniverſo Vniverſitates? Nuſquam ſeſe maieſtuoſius meliuſquè tota ferè univerſalis Eccleſiæ repræſentavit Facies, totus tam ſanctus & eruditus congregavit Senatus, tam vaſta Sapientum, præeminentium ex orbe coegit & ſtupuit Frequentia, quàm in THOMA, humanarum Divinarumque ſcientiarum Angelico Magiſtro, ſenſuum pro Fide, pro DEO Catholicorum invictiſſimo Aſſertore, Divino non Doctore ſed Oraculo. Sive enim profanas naturalis Philoſophiæ ad diſputandos Gentiles velimus facultates? hic clarior quam in Stagyra Ariſtoteles, divinior quam ſua in ſtoa Plato, eruditior quàm in Tuſculo ſuo veteriq; Roma Tullius. Sive Chriſtiana præſtantiſſimos Pallade, ad promovenda propagandaquè Orthodoxa dogmata, per primas Vniverſitates conquiramus Magiſtros? hic celeberrimus extra Athenas Dionyſius, diviniſſimus extra Alexandriam Clemens, fortiſſimus extra Romam Columna Ægidius, extra Pariſios Albinus, extra Lugdunum Beda & Iſidorus, hic lectiſſima Doctorum orbis Vniverſitas, Vniverſitatum Flos & Collegium Nobiliſſimum. Sive ad confutandos heterodoxos, ad convincendas profligandaſq; hæreſes, DEO pro DEO armatos accenſoſquè intueamur Patres? in THOMA, Ignatius & Tertullianus triumphant de Sabelliis, Athanaſius & Hilarius palmas referunt de Arianis, Nazianzenus & Baſilius proſternunt Eunomianos, Cyrillus & Epiphanius admirandè ſubigunt Neſtorium, inte-

gra

gra hæreſeon omnium frangunt caſtra. In THOMA, Aurelius Auguſtinus ferreus Pelagianis, melleus Ambroſius amarus Manichæis, Maximus Martyr Gigas in Monotelitas, Fulgentius fulgur & fulmen ſemi-Arianis. Seu in Jovinianos deſideres Hieronymum, ſeu in Novatianos Cyprianum, in ſemi-Pelagianos Proſperum, contra Iconomachos Damaſcenum, contra Græcos Anſelmum, uno omnes in THOMA vel redivivi, vel diviniori quadam transformati metamorphoſi, orbem ſui admiratione attonant, Eccleſiam mire tuentur ab hæreſibus. In THOMA univerſim videas Sanctiſſimos illos Patres, Doctiſſimos & zelantiſſimos pro Religione & Fide Præſules, quotquot vel Nicææ Divinitatem Verbi, vel Conſtantinopoli Epheſiquè Deitatem Spiritûs, vel alibi Divorum omnium ſacris in Imaginibus intemeratum cultum, fædis vindicarunt ab erroribus, à blaſphema defenderunt impietate; quotquot Chalcedone proſcripſerunt Eutychen, Florentiæ convicerunt & ad unionem Fidei adduxerunt Græcos, Tridenti Lutheraniſmum, Calviniſmum, Janſeniſmum, totque cælo adverſos orco devoverunt errores, ſanctiſſimas Chriſtianæ Fidei & vitæ regulas formaverunt. His enim ſingulis ac univerſis Aquinas Diviniſſimus, vel lumen adiecit ad claritatem ut Sol Doctorum, vel robur ad firmitatem ut inconcuſſæ veritatis adamas & Magiſter invictiſſimus, vel inſpiravit ſenſum ad intelligentiam, ut cæleſtis quidam Eccleſiæ Spiritus, de Angelico Prædicatorum Ordine Angeliciſſimus, veruſque Angelus; ut iam citra paradoxum, cuiquè

manifestum esse debeat, tam integra Ecclesiæ Concilia commigrasse in THOMAM, quam THOMAM unum omnium esse Comitium, beneque Æcumenicum Vniversalis Concilium Ecclesiæ. Quippe si hæc de Viris magnis existimatio est, ut unus plurimorum loco habeatur; si illud Ethnicæ cæcitatis lumen, profanæ Præceptor Philosophiæ Zeno, amplissimæ scholæ instar & spectaculi esse meruit Antigono, id de eo ingeminanti identidem: *Quale theatrum amisi!* Si Atheniensibus Solon vir eruditissimus, integræ instar Nationis visus fuit: *Omnia viso Solone conspexisti, hoc sunt Athenæ, hoc Græcia.* Si de Orientalium illo sole, Cæsariensis Phænomeno Cathedræ, Divo Basilio, is Leonis Magni sensus erat: *Unus omnium loco sufficit ad comparandam scientiam*; Quid ni & tanto magis Divinissimo Aquinati Nostro eam attribuamus gloriam, eum ad meritam sibi Panegyrim titulum, ut plurimorum loco & nomine præstantissimorum in Ecclesia asseratur, ut mecum, ab omnibus unus dicatur, celebre quoddam & Æcumenicum Ecclesiæ Concilium. Hoc de illo affirmasse eruditum Gennadii videtur effatum: *Si quis Thomæ libris animum applicuerit, eum nullo alio indigere puto.* Hoc Principum Elogiastes summariè innuisse putatur: *Didicit omnes, qui THOMAM intelligit*; Hoc ipsum vel veritati inimica acclamavit hæresis Buceri: *Tolle THOMAM, & dissipabo Ecclesiam*; ac si dixisset expressius, Doctrina THOMÆ sensus est Ecclesiæ, mens Patrum, non privata Doctoris cujuspiam, sed publica & communis omnium sen-

tentia,

tentia, non privatum responsum, sed Concilii orthodoxi oraculum; Vt si hic unus vacillet, Vniversalis facile vacillet Ecclesia, *Tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam.* Tantus nempe in hæreses videtur THOMAS, quanta hoc tempore Ecclesia, ipso excepto Capite; tanta suis in assertis & resolutionibus Ecclesia, quantus THOMAS, illius Cor & Anima, doctrinæ Sol, regula veritatum. Talem tantumque sensit, vel se in THOMA melius comprehendi voluit, Æcumenicus ille Patrum Senatus, ubi centeno ore divinæ illius acclamavit Sapientiæ: *Ad Doctorem Angelicum, si quid controversiæ exortum fuerit, communibus votis referendum.* Concil: Trident: Nempe Aquinatem Nostrum, illud esse in Christianitate grande Columen iudicavit, quo Domus Domini, quo Divini Maiestas honoris, quo Divorum Aræ, quo Sacri Religiosorum fulciuntur Cætus; Illud probavit Cor, à cuius Sapientiæ, virtutis & doctrinæ influxu, militans Ecclesia, ad prælia Domini contra hostes animatur, sanam Caput orbis mentem, omnes regnorum venæ robur, corporis orthodoxi membra vitales spiritus hauriunt ac derivant; Illum indigitavit Solem, qui ortum fidei, diem Atticis noctibus, meridiem veritati, noctem hæresibus inducit & occasum; Illam ostendit anchoram, quâ navis Petri, spes publicæ, salus universorum, ne in scyllas errorum incidant inter turbulentos sectariorum motus feliciter diriguntur; Illam demonstravit regulam, quam sequens non devias, quam cogitans non erras, tenens non corruis, discens non falleris, loquens infallibilem promulgas veritatem.

Verbo, illam conclusit sapientum Vniversitatem; salutarium consiliorum Curiam, illustriorum Doctorum oraculum, Divinorum Arcanorum definitorium, sanctissimorum officinam Canonum, quibus proscribantur hæreses, evitentur errores, teneatur Fides, tota ritè formetur Christianitas; ut extra omnem arrogantiæ notam Doctor Divinissimus vel unus Æcumenicum quoddam & probatissimum Ecclesiæ colatur ac adoretur Concilium. Nec nomen illi inane, aut eô maior titulus ejusmodi; obsecro mecum amplius naturam Concilii ex suo ad quem specialiter convocatur fine, perpendite AA. Nonné hic est? ut exorientibus occurratur hæresibus, dubiis Fidei satisfiat, morum consulatur rectitudini, controversiis, obiectionibusq; & conveniens detur campus, & certa ac infallibilis resolutio. Jam quantus Orbem Christianum ante THOMAM invaserat turbo errorum! quanta hæresum diversas per Provincias, per sæcula succreverant monstra! Alii duo rerum adstruebant principia cum Manichæo & Marcione; alii Trinitatem Personarum tollebant cum Noetio, & Photino; alii phantasticum Christo corpus tribuebant cum Saturnianis & Gnosticis, veram adimebant Divinitatem cum Ebione & Ario; alii impugnabant Sanctos cum Zvinglio, DEIparam cum Nestorio, Petri Principatum cum Vicleffo; hi invehebantur in gratiam cum Pelagio, illi in liberum arbitrium cum Calvino; Aliis Eucharistia non placuit cum Berengario, Baptismus cum Flagellantibus, Beatitudo unica visa in terris cũ Epicuro & Begvardis. Quot hic requirebantur

scho-

scholæ! quot Sanctiores Magistri, ad multiplicata adeo, tam extremè Fidei & Sanctitati adversa dedocenda dogmata! quot & quanti in monstra ejusmodi prodire debebant Alcidæ! quot ad tantas simul illuminandas noctes elucere Soles! sed prodivit THOMAS, unus sufficiens omnibus; prodivit, qui unus audire cælitus meruerat, bene se de DEO scripsisse, & proscripsit, pessimè sentientium greges integros; prodivit unum Doctorum Caput, & acephalas reddidit tot capitum hæreses; prodivit sapientiæ cælestis & sanctitatis ingens theatrum, & personata ad ignominiam detexit scelera; prodivit celebre Ecclesiæ, virtutum simul & scientiarum omnium Concilium, & incredibili efficacia, veriùs Divino quodam Numine demonstravit errores, & damnavit; evocavit hæreses, & convicit; indigitavit veritatem, & firmavit; morum proposuit regulas, & reformavit. Evolvite auro gemmisquè pensanda æquè sanctissima ac sapientissima Aquinatis Divinissimi opera & gesta, illos inexhaustos sapientiæ & probitatis fontes, pretiosa orthodoxo orbi æraria, illos sanctissimos vitæ Christianæ Canones, dicam veriùs sacrosancta æcumenici acta Concilij. Scripsit volumina, ut in crassa caligine & in umbra mortis sedentibus, lumina præberet clarissima ad semitas justitiæ decurrendas: Composuit Corpus, ut publicæ salutis Animam conservaret Religionem; Disposuit sectiones, ut sectas & scissa corda schismate ad unionem Fidei revocaret; Respondit objectis, ut arcana cælestia declararet. Et certè quotquot THOMÆ

legeris argumenta, tot Superûm crede effata; quot Articulos, tot fidei indices, vel Numinis oracula, quot objectiones, tot obices erroribus. Quid deniquè Theologici THOMÆ Tractatus, quam inconcussa fidei dogmata, Corollaria symbola; quæstiones Canones orthodoxi, quodlibet Caput mens DEI, sensus Ecclesiæ, oraculum sapientum; Summa Angelica orthodoxarum summarium veritatum, syllabus Doctorum, Congeries Patrum; ut in uno Authore THOMA non privatam, sed publicam Concilij intelligamus authoritatem. Possem ego (quod vel unicum satis esset ad robur argumenti) vel ex ipso domestico Aquinati Sacratissimo Prædicatorum Ordine, sacrum ac Sapientissimum ejusmodi Senatum, sole clariùs demonstrare, in THOMA numerosissimè congregatum, ex quatuor Summis Pontificibus, sexaginta duobus Cardinalibus, viginti quatuor Patriarchis, centum triginta octo ArchiPræsulibus, octingentis propè Episcopis, supra quadringentis Sacri Palatij Magistris, ex librorum Authoribus, ac solius THOMÆ explanatoribus plusquam mille ducentis quinquaginta, ex Doctoribus, Theologis, Prædicatoribus Generalibus planè innumeris: sed ad ejusmodi elogium ipse sibi vel unicus sufficit THOMAS. Quid, si vitæ sanctimoniam in illo observaremus? hæc sola vel unica Illum sacrosanctum esse promulgaret Concilium, cuius thaumaturga fides symbolum posset esse universæ Christianitati, illibata morum innocentia regula iustitiæ, Angelica modestia norma probitatis, probitas virtutum

Thomas Malvenda Tomo 1mo

magi-

magistra; virtus quælibet canon perfectionis. Verum tantam cælestium charismatum eminentiam, tam augustam sanctissimarum dotum majestatem angusti scholasticæ svadæ non capiunt limites; Aris celebrandam, sideribus relinquo attollendam. Vos jam video scholasticum Nostrum in THOMA encomium tacita mente approbatis AA. Vnum ad prærogativam Æcumenici universalis Ecclesiæ Concilii, THOMÆ tribuendam, restat promulgandum. Sapientissimi ex testimonio Sacratis: *Regula jubet Ecclesiastica, ut Concilia præter sententiam Romani Pontificis non celebrentur.* Supremus Ecclesiæ Arbiter Paschalis legem ponit: *Ut omnia Concilia per Romani Pontificis Authoritatem fiant & robur accipiant.* Ergo præter Summi secundum ordinem Melchisedech Pontificis ex crucis Cathedra approbantis Doctrinam THOMÆ, supremorum Ecclesiæ Capitum faventissimam de Nostro Aquinate auscultate mentem & iudicium. Audietis VII. ab ore Clementis in eius elogia Pontificiæ oracula Cathedræ: *THOMAS Angelicus, vivus Mentis Divinæ Interpres adoretur.* Audietis sexcenta alia Romanæ Sedis effata, celeberrimæ Illius acclamantia Doctrinæ: Illam Vrbanus IV. *Catholicam, veridicam, admirandam, Universalem Ecclesiam illustrantem*; Illam Innocentius VI. *præ cæteris, excepta Canonica, habentem proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum*; Illam Clemens VIII. *Cælestem*, Alexander VII. *inconcussam, tutissimam*; Illam deniquè *sequendam ab omnibus* Clemens VI. declaravit.

Historic. Ecclest sæculo 5.

Canus.

ravit. Prætereo Pii V. Joannis XXII. Vrban V. Sixti V. Benedicti XIII. totquè aliorum Pontificum Constitutiones, quibus Aquinas Divinissimus summè extollitur, maximè omnibus commendatur; Nil superest, nisi ut subscribatur illi ab omnibus, quod ut hactenus Oratoria deduxi Panegyri, ita ad Theologicas Speculativo Dogmaticas descendens Conclusiones, ut rem Dogmaticæ maximè necessariam materiæ, Æcumenicum Ecclesiæ Concilium THOMAM assero, pro prima omnium ob oculos pono Authoritate.

Dixi.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ SCHOLASTICO DOGMATICÆ

Juxta Mentèm S. THOMÆ Aqu: Angelici Ecclesiæ DOCTORIS,

EX TRACTATV

DE SS. TRINITATE.

I.

DAtur in DEO vera Trinitas Personarum, potestq; à Theologo positivè probari, & negative demonstrari.

II.

EX Personis Divinis necessariò est una improducta, & duæ productæ ac procedentes, adeoq; datur in DEO vera & realis ad intra Processio Personarum.

III.

PRincipium quo tam radicale, quam formale processionum Divinarum non est Essentia Divina ut præcisa ab intellectu & voluntate, sed nec ulla perfectio absoluta.

IV.

ETiam relationes Paternitatis & spirationis, non sunt aliquæ formæ constitutivæ sivè proximè sivè remotè, etiam inadæquatè Personæ producentis ut talis.

V.

ESsentia ut modificata relatione est principium quo radicale; proximum verò & formale principium Generationis est intellectus pariter ut modificatus Paternitate, & spirationis voluntas ut modificata relatione spiratoris.

VI.

VErbum Divinum per se & formaliter procedit ex cognitione non solum essentiæ, sed etiam attributorum, o-

mniumq; Personarum, & possibilium creaturarum; ex cognitione verò creaturarum actualium, tam futurarum quam existentium procedit solum concomitanter & per accidens.

VII.

SPiritus Sanctus non est aliqua mera Virtus DEI, sed vera Persona Divina verusq; DEVS. Tam à Patre quam à Filio procedit, solùm tamen ut ab uno principio.

VIII.

VOx *Filioq;* jure addita est symbolo Constantinopolitano. Idq; probabilius primum in Hispanijs in fine sæculi VI. tum in Germania & Gallia sæculo VIII. Romæ sæculo IX. & demum in tota Ecclesia sæculo XIII.

IX.

SPiritus Sanctus si non procederet à Filio, non distingveretur realiter ab illo.

X.

DAtur vera & propria ratio Personæ in DEO.

XI.

FOrmale & adæquatum significatum Personæ in DEO non est sola incommunicabilitas, sed relatio sub munere subsistendi per se incommunicabiliter; significatum verò materiale directum est relatio sub munere referendi, indirectum Natura Divina cum cæteris absolutis.

XII.

PErsonæ Divinæ constituuntur formaliter relationibus sub munere formæ hypostaticæ; in esse tamen, Patris, Filij, & Spiritûs sancti, ijsdem relationibus sub munere formæ relativæ; perfectio autem absoluta tantum se habet de materiali.

Ad Majorem Nominis DEJ Sanctificationem.

